

§. 5.

Intellectus entium finitorum quemadmodum est facultas possibilium distincte cognoscendi (vi def. quam suppono), ita Intellectus Dei, Entis Infiniti, non est nuda facultas, non solum cognitio possibilium quorundam, & quidem successive talis; sed distincta & simultanea omnium possibilium repræsentatio. Intellectus itaque est omne id, quod esse potest, simul, adeoque infinitus, hinc immutabilis (§. 3.).

*Intellectus
in genere
quid? &
Intellectus
Deo vindicatus.*

Patet vero, Deo competere Intellectum infinitum propter necessariam suam existentiam & exinde fluentem Infinitatem (§. 3.), adeoque Intellectus hujus Infinitudo & immutabilitas venit ex Dei Infinitudine. Unde simul evidens est, talem Intellectum in entia finita cadere non posse. Non itaque in illa cadit cognitio omnium possibilium, neque cognitio eorundem simultanea, quæ perfectio est solius Intellectus Dei.

§. 6.

Ratio sufficiens existentiae hujus Universi continetur in Deo (§. 1.). In essentia ejus contineri nequit; alias mundus esset necessarius. Ergo contineri debet in illo actu, quo Deus hunc mundum ex aliis possibilibus elegit & existere voluit; competit itaque Deo voluntas libera, liberrima, perfectissima, & immutabilis (vide §. 3.).

Deo competit voluntas perfectissima.

Sufficiat hic breviter probasse, Deo competere voluntatem liberam & perfectissimam. Plura de voluntate Dei ejusque Libertate desiderans, alibi inveniet satis evicta. Merito itaque abstinemus a pluribus adducendis præter necessitatem.

§. 7. Deus